



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De falsa interpretatione illius propositionis, Quicumq[ue] habet Christum.
tit. 25

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

dinem: Primò videte fratres, qualem charitatē, id est, honorem, dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus. Secundò inquit: In hoc manifesti sunt filij Dei, & discernuntur à filijs diaboli, vbi charitas fuerit. Nā qui non diligit fratrem, hic non est filius Dei, sed Sathane: sicut Cain occidit fratrem suum Abel, Genes. 4. Tertio qui peccat, ex diabolo est, hic ab initio peccat, id est, mendax & homicida est, Ioan. 8. & Christus Mat. 5. notat, qui sint filij patris, qui in cœlis est, dicens: Ego dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calūnantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ergo filium atq; hæredem regni facit non solum fides, sed magis obedientia Dei. Rom. 8. Quicumq; Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Ergo deceptio est in his dulcibus verbis, filius, pater &c.

*DE FALSA INTERPRETATIONE
ILLIUS PROPOSITIONIS, Quicumque habet
Christum.*

TITVLVS XXV.

DR Imò, vt sectę suę somnium retineant de sola fide, ad derogandum pijs operibus, dicunt: Quicumq; habet Christum & cui donat pater Christum filiū, huic omnia donat cum filio, Rom. 8. quæcūque habet Christus, iustitiam, sanctitatem, sapientiā, redemptionem &c. At qui solum credit in Christum, hic habet Christū & omnia cum illo gratis sine omni respectu operum propriorum. Habitat enim Christus per fidem in cordibus vestris, Eph. 3. Ergo sufficit mihi quòd habeo Christum. Quid Papa, Cæsar, vel opera? habeo Christum & c. & omnia cum Christo, Nihil
ultra in-

ultrà indigeo. Nam sic dicit Ioannes 1. Ioan. 5. Vita eterna in filio est. qui ergo habet filium, hinc vitam eternam habet. Habeo ergo per fidem Christum, ergo & vitam eternam. Idèd non est necesse, vt habeam bona opera & meritum proprium &c.

Secundò, Christus apud quem esse velit, & à quibus reperiri, ipsemet declarat, dicens Ioan. 14. q̄ qui diligit eum, illum iterum pater diliget. Et ad eum venimus, inquit, & apud eum mansionem faciemus. Non inquit, qui solùm credit, me habet: sed qui diligit, & hic seruat sermones meos. & 1. Ioan. 4. inquit: Primò, Deus charitas est, & qui manet in charitate, id est, erga Deum & proximum, hic manet in Deo & Deus in eo. Ergo apud illum est Christus, vbi simul sunt fides & charitas, non solùm nuda fides. Neq; in tota scriptura legitur, quòd Christus apud illum sit, qui in odio vel erga proximum, aut communem Ecclesiam, vt secte sunt, velit esse & reperiri, sed vbi est dilectio. Secundò inquit Ioannes: Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Nam si non diligis, quem vides, &c. Tertiò, hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Fides ergo in Christum sine dilectione proximi, nihil est. Iactent secte quantum volunt se habere Christum, se credere in Christum &c. Non habent sine dilectione, 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem & omnem scientiam, &c.

Augustin. serm. 167. Non potest concordiam cum Christo habere, qui discors est cum fratre Christiano. Nam Deo nec placet munus irreconciliato fratre, Matth. 5. Et plùs placet sibi reconciliatio, quàm munus. Secundò, Nec Christus vult remittere peccata in cœlo, nisi priùs remissa hinc fuerint super terram. Nam dicit Matt. 18. Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo, semper primo

G g loco po.

loco ponit terram, quia nec munus tuum vult in cœlo, nec te absolvere à peccatis in cœlo, vel approbare absolutionē hīc factam, nisi reconciliatus fueris fratri. Quicumq; ergo fratrem non secum habuerit in corde per dilectionē, nec Christū habebit. Tertio, Deus vult esse nobiscum, sicut pater est cū filijs, si fuerimus pacifici. Mat. 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Qui ergo vult esse filius Dei, & secum habere Christū, illum oportet esse pacificum cū fratre: nam pax & concordia facit filiū Dei: idē inquit August. serm. 169. Hoc semper ponderare debemus, q̄ Christus recessurus inquit ad Apostolos, Ioan. 14. Pacem meā do vobis. In pace vos dimitto, in pace vos redēdo inueniam, pacem fecit nobis Christus cum peccato, morte, Sathana. & c. Ephes. 2. Ipse est pax nostra, Deus vult esse pacis. 1. Corint. 14. Non enim dissensionis est Deus, sed pacis. Vbi concordia & pax est, ibi Deus est. Non ergo habet Christū, qui in dissensione sine pœnitentia viuit, sicut dicit 2. Cori. 13. Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Nō ergo in veritate habent Christū, qui in dissensione & secta viuunt, quantumcunq; etiam glorientur, sicut de illis dicitur in Epist. Iudæ: Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum Dei non habentes. Et si Spiritum Dei non habent, quomodō tunc habebunt Christum? Christus dicit Matthæi 18. vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. At cum non consentiunt hæretici cum Catholica Ecclesia, nec inter se sunt concordēs, quomodo habebunt Christum secum? Augu. inquit Veniens & rediens Christus vel in morte aut in iudicio, & non reperiens pacem & vnitatem, in qua te reliquit, cum discederet ad patrem: quid dicturus est illis omnibus extra vnitatem existentibus, etiamsi in nomine suo prophetauerint, id est, licet prædicatores fuerint, etiamsi miracula fecerint, dæmones expulerint, nisi

Vnt nisi quod dicitur, Mat. 7. Nescio vos, discedite o-
perarij iniquitatis? Illi etiam putabunt se habere
Christum, sed audient ab illo, Nescio vos, &c.

Tertio, ex predictis liquet, quod illi, qui in seipsis
confidunt, & non nisi nudam fidem habent, & tamen
putant se habere Christum, quod seipsos decipiunt.
Nā non sufficit Christum habere solum in ore & non
in corde. Sic Apostolus ad Tit. 1. dicit, Confitentur
ore se nosse Deum, factis autem negant, id est, non
habent dilectionem & vnitatem, quæ post fidem pri-
mum opus est, sine qua dilectione fides nihil prode-
rit. Fides enim Iudaica, fides gentium, fides Turcica,
est sine charitate & docetur apud illos sola sufficere;
Sed fides Christi exigit secum charitatē, per quā ope-
ratur, Gal. 5. Fides Dæmonum quoq; est sine charita-
te, inquit August. Nam & Dæmones credunt & cōtrē
miscunt, Iaco. 2. & etiā Dæmones habent Christū, sed
in ore solū, Mar. 1. Luc. 4. Clamauit Spiritus immun-
dus: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? scio quod sis
sanctus Dei, venisti perdere nos &cæ? Sic sectæ etiam
habent Christum solum in ore, & non in corde. Ergo
vbi est charitas & dilectio erga Deum & proximum,
vbi obedientia præceptorum Dei, ibi Christus viuit
& est in corde. Ioan. 14. Si quis diligit me, sermones
meos seruat. Proprium igitur est hereticorū, se iacta-
re quod sint sancti, iusti, salui, quia habeant Christū
cum omnibus suis donis, Rom. 8. Et licet sint in cor-
pore peccatores, adulteri, fures, homicidæ, immundi,
&c. Attamen Spiritu sunt sancti, & habent Christum
&cæt. id est, sufficit nobis solum credere. Nihil no-
cet mala vira: Christus in Spiritu est, non in corpo-
re, solam fidem respicit, non opera, nec vitam, qua-
liscunque etiam fuerit, &c. Respond. si hæc doctrinā
est vera, tūc Christus frustra docuit sermonem in mō-
re, Matth. 5. de octo beatitudinibus. Item sermonem
de operibus misericordiæ, Matt. 25. Item de ieiunio,

oratione, eleemosyna, Matth. 6. Item sermonem de decem præceptis, Exod. 20. Matth. 19. repetit illa. Secundò, frustra docuit Paulus 1. Corinth. 6. Ephes. 5. Galat. 5. Romanor. 8. quòd opera carnis impediunt ingressum salutis. Item, Cur corpus punitur morte, infirmitatibus varijs & miserijs, si Deus non curat opera, nec vitam? Romanor. 8. Corpus corrumpitur propter peccatum, falsum est ergò, quòd dicunt sectæ & cætera.

*DEVS NON INDIGET
operibus nostris, quomodo
sè exponitur.*

TITVLVS XXVI.



Primò, sectæ in derogationem bonorum operum, vt statuunt solam fidem inquirunt: Propheta dicit Psal. 15. Bonorum meorum non indiges Domine. Idè reijcit Deus omnia opera nostra, qualiacunque etiam sint, neque opus his habemus, sed tantùm sola fides sufficit absque omni additamento operum: vltra hoc, sunt etiam opera nostra, sicut pannus immundus, sicut propheta dicit, Esai. 64. Omnia opera nostra vt pannus menstruata. Et Iob 9. dicit: Verebar omnia opera meà, &c.

Secundò, Hic primò notare oportet, quid propriè sint & dicantur nostra opera. Deindè, quid Dei sint opera, quæ in nobis operatur. Primò, nostra opera vocat scriptura, quæ facimus nobisipsis & nostræ carni & corpori voluptatis causa, quemadmodum sunt opera carnis, enumerata à Paulo, Gala. 5. vti adulterium, scortatio, comessatio, lites, rixæ, ebrietas, &cæt, hæc sunt propria opera carnis nostræ, & vocantur opera nostra propriè. Secundò, sunt opera, quæ non nos ex nobis, sed Deus per nos operatur, quæ sunt Dei